



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 10. Amici cur honorandi?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

Hic tantum adijcio, Dionem historicum, ob insignem facundiam, *Chrysothomum* fuisse appellatum: quod nomen etiam Ioanni episcopo Constantinopolitano, inter Ecclesie Patres, eloquentissimo est attributum. Cuius aureo ab ore, aureum orationis flumen manabat; & quoties e cathedra loquebatur, rosas loqui videbatur. Sine numero sunt talia. Ut enim Pericles, propter summam eloquentiam, qua fulgurare & tonitrua cedere videbatur, *Olympij* cognomen meruit; ut Sophocles, propter sermonis dulcedinem, *μέλιτρα*, seu apis nominabatur; ita & alij ab eloquentia nomen honorificum acceperunt. Nam, ut Plutarchus scribit, *Æmyliorum* genus à dulci facundia leporeque est nominatum: *αιμυλία* enim lepiditas dicitur. Unde etiam *Lepidi* cognomen assumpsere; à quo procul absunt, qui ore & sale carent, & rore pascuntur, more cicadarum.

Plutarch.
in The-
mistocle,
Gyrald.
lib. 7. hist.
Poët.

Vide Plin.
lib. 11.
c. 36.

§. X.

Amici cur honorandi?

8. Amicos honore dignos quisque censeat, qui ipse vult expectatque ab amicis honorari. Eos colendos esse, docet Deus, qui ipse amicos suos honorat. *Mihi autem ni-*

Psal. 138
17

mis

mis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Docet ratio; ut enim navis diligenter compingitur, quæ sic in tempestatibus præsidio futura; ita amicus fouendus est, qui & ipse in aduersis debet fouere. Non exercitus, neque thesauri, præsidia regni sunt: verum amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas: officio & fide parantur. Id ipsum docet prouerbium, Amicus magis necessarius, quam ignis & aqua. Colendus est igitur, ne perdatur. Quia amico amici sumus, & non sunt amici, qui degunt procul; & vultu sæpe læditur pietas. De amicis honorandis multa Aristoteles, multa Cicero, multa alij. In diuinis mirifica Ionathæ erga Dauidem, & Dauidis erga Ionatham, amicitia describitur, qualis non fuit inter Theseum & Pirithoum, inter Damonem & Pythiam, aut si qui alij ab antiquis celebrantur. Sed abrumpo, quia complura extant volumina de hoc argumento; quod vel solum vno volumine non potuit comprehendere.

Sallust. in Iugurt.

Aristot. lib. 8. Ethic. Cic. lib. de Amicitia.



CAPVT